



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Fvldensivm Antiqvitatvm Libri IIII.

**Brouwer, Christoph**

**Antverpiæ, 1612**

Ingressvs in Rem.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-39712**

## INGRESSVS IN REM.



T, qui præclari erudiendis ingeniis dediti magistri, artem ducem & præceptricem sequuntur, non vnâ ac simplicem insuntur viam, quâ doctrinæ rationem auditor percipiat: ita nec is, qui illustrium hominum etates & tempora persequitur, vno eodemque picturæ colore res eorum adumbrat; sed modò densius

spargit copiam & vbertatem quamdam antiquitatis, modò pressus argumenti angustia, materiam eandem extenuat, cohibetque. Et suppetat licet interdum locus, vbi liberior & lætior sese efferat oratio, sapius tamen, vt humile est hoc scribendi genus, quamdam mœstitiâ sponte sequitur. Quo facilius, opinor, culpâ & reprehensione vacabimus, si sermonis vt picturæ lineamenta, diuersis coloribus, exprimimus; cùm præsertim eum nobis polliceamur huius consilij fructum, quòd, quæ fidei faciendæ causâ scribenda suscepimus, hæc ipsa longè quidem testatiora fore speremus, vbi membra partesque singulas seorsim exposuerimus, & ceu fontes recluserimus, vnde narrationis præteritæ vis omnis & robur emanauit. Ac, fateor, in his ipsis litterarum fragmentis, quæ vndique colligimus, haud pauca non integra legi, vel *ὀλοκλιμα* prodire; multa suis annis, & temporum notis, destitui; alia etiam, instar Deiphobi, dilacerata atque distracta, vnum in corpus ægrè coalescere. Sed in illis veteris scripturæ tenebris, fatentur maiores ipsi, causas sibi fuisse haud iniustas, cur alicubi caliginem hanc non discuterent, cùm Scoticam siue Britannicam calligraphiam, cuius hîc vsus fuit antiquissimus, haud facillè possent assequi; & pleraque describerent ex obsoletis veterum aduenarum membranis. Quare cùm ducibus hîc peritis, & magnâ luce clarioris documenti, careamus; mirari prudens nemo debet, has cuiusmodi reliquias, non ab omni labe intactas & nitidas exire, sed etiam seueriore vultu in publicum venire. Neque interim magnopere nobis est reformidandum, ne rebus tam variis atque seiunctis

MS. lib. pri-  
uileg. donat.  
tradit.

Brow  
Antiq  
Fulde  
57  
9



Etis in capita certa coniectis, scopas, vt aiunt, videamur diffoluisse. Nam, cum antiquum & velut sepultum diu thesaurum eruimus, in quo nihil non quantiuis pretij est, quidquid demum sese offert; otiosum & superuacaneum habeas, auro argentoque cum potiare, vtrum ex his, quo loco ordineque promas, anxium cum animo trahere. Ergo rei seriem iam nouam orsi, à S. Sturmionis vitâ, principium petamus.

VITA S. STURMII  
ABBATIS PRIMI  
MONASTERII S. SALVATORIS  
FVLDÆ

olim à Georgio Wicelio ex MS. Latinis iam amissis  
Germanicè excerpta editaque,  
nunc primùm Latinè reddita, & aliis  
documentis illustrata.

CAPVT I.

*Sturmionis educatio, viuendi genus, peruestigatio  
loci ad monasticam vitam idonei.*



VM S. Bonifacius, peritus Dei domus Architectus Germaniam superiorem obiens, ad verum Christi cultum incolas eius gentiles adduceret, hæreticos peruinceret, Catholicam Ecclesiam amplificaret; non defuisse aiunt ingenuos & probos homines, qui liberos suos huic sancto Doctori erudiendos offerrent. Atque in his extitisse adolescentem, cui<sup>a</sup> Sturmio nomen fuit; qui ex<sup>a</sup> Norrico ortus, nobili parentum stirpe. Hic à S. Bonifacio benignè susceptus, inter peregrinandum Frideflariæ<sup>b</sup> Wigberto Presbytero traditus est in disciplinam; cuius in scholâ adolescens magnos

<sup>a</sup> S. Sturmio,  
Sturmi, Stur-  
mus, var.  
leñ.

<sup>a</sup> i. Bannaria,  
adi lib. 1. c. 3.

A S. Bonifa-  
cio traditur  
in disciplinâ

S. VVigberti.  
<sup>b</sup> Antiq. lib.  
1. c. 3.